

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Meditationum evangelicarum pars tertia, hoc est:
Tractatio evangeliorum tam dominicalium, quam
festivalium, ad recte se sub variis tentationum generibus
gerendum, disposita**

Creide, Hartmann

Francofurti ad Moenum, 1682

Feria II. paschatos

[urn:nbn:de:bsz:31-126133](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-126133)

nio intelligere valet. Videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem à facie ad faciem. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus, cum autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est, 1. Corinth. 13. vers. 12.

Interea verbo adhærentes, caveamus ne rationi nimium indulgeamus. Quemadmodum enim bombyx, quo plus telarum trahit, eò plus illis irretitur: Ita scrutator majestatis opprimetur à gloriâ, Prov. 25. vers. 27. Maria ait: Ancilla Domini sum, fiat mihi secundum verbum tuum: Sic & nos dicamus, non dubitantes, quin Deus verum facturus sit, quod

nobis promisit. Triumphator enim in Israël non fallit, 1. Sam. 15. vers. 29. Et sicut verbum illud impletum, quod Angelus ad Mariam locutus est, ita non ambigamus, quin promissa nobis facta servaturus ille sit, nosque ex miseriarum hâc valle translaturus eò, ubi revelatâ facie gloriam Domini, tanquam in speculo recipiemus, 2. Cor. 3. & ult. Ibi nobis fiet juxta verba ejus.

Quod hic Deus certissimus,
Promisit in verbo bons,
Jurans suum per nomen:
Id certius certo fiet,
Qui nos ut Angelos beet,
Per Christum Jesum, Amen.

FERIA II. PASCHATOS.

Evangelium Luc. 24. v. 13. -- 35.

EXORDIUM.

Nurus summi Sacerdotis Eli, uxor Phinees, quæ prægnans erat, vicinaque partui: audito nuncio, quod capta esset arca Dei, & mortuus esset socer tuus, & vir suus, incurvavit se & peperit: irruerant enim in eam dolores subiti. Cùm autem mors ipsi appropinquaret, dixerunt ei, quæ stabant circa eam: Ne timeas, quia filium peperisti. Quæ non respondit eis, neque apposuit cor suum. Et vocavit puerum Ichabod, dicens: Translata est gloria Domini de Israël, quia capta est arca Dei, 1. Sam. 4. v. 19. seqq.

Ubi in considerationem venit,

1. *Gravidarum & parturientium conditio dura.* Phinees vidua, præ nimiam animi consternatione, ante justum tempus parit, & in partu occumbit: Ita prægnantes & parturientes variis periculis & castibus subiecti sunt, & facile quicquam accidere potest, quo aut illis aut fœtui damnum infertur. Ex hâc causa prægnantes sollicitè sibi caveant, & sedulo orent, ut Deus se & fœtum suum in tutelam suam recipiat, ne pavore, metu, lapsu vel alio modo in discrimen adducantur, & causam habeant cum Rebeccâ querendi: Si mihi sic futurum erat, quid necesse fuit concipere? Gen. 25. v. 22.

2. *Potif-*

2. *Potissima piorum cura.* Phinees uxor non adedè angitur de obitu matiti & focerì, quam de arcâ Dei, quod illa de Israel translata, in manus Philistinorum pervenerat. Ita verus, maxime verò, moribundus Christianus, de nulla re magis sollicitus esse debet, quam de gloriâ Israelis, hoc est, vero Dei cultu, ut illum pro virili promoveat, ut Exempla Josue, Davidis, Hiskia, Josia, Nehemia, aliorumque Sanctorum Dei id docent, Jos. 24. v. 1. seqq. 1. Chron. 29. & 30. cap. 2. Reg. 20. & 23. Nehem. 1. seqq.

3. *Discipulorum Christi figura.* Uxor Phinees ex animo perturbata est, propter ablatam arcam Dei, quam gloriam Domini appellat, quo nomine & à Davide, Psalm. 26. vers. 8. & Assapho Psalm. 78. vers. 62. insignitur. Arca fœderis typus Christi fuit, ut constat ex Rom. 3. vers. 25. cum ille à furiosis Judæis Ethnicis traditus & cruci affixus, & postea à Josepho Arimathiaë terræ mandatus esset, discipuli ejus maximo mœrore percellerantur, non secus opinantes, quàm gloriam translaram esse de Israel. Sicuti duo ex illis, qui Emaus proficiscebantur, varia tristia colloquia hæc de se ferebant. Ubi enim Christus illis apparuit, & causam tristitiæ sciscitatus est, liberrimè animi sui sensa proferunt, dicentes: Translata est gloria Domini de Israel, Dominus gloriæ crucifixus est, 1. Cor. 2. v. 8. Jesum Nazarenum, qui fuit vir Propheta, potens in opere & sermone, coram Deo & omni populo: summi Sacerdotes & Principes nostri tradiderunt, in damnationem mortis, & crucifixerunt eum &c. Sicut S. Lucas paulò plenius indicat.

Nos methodo nostræ inservientes, videbimus

- I. *Triplicem Querelam.*
- II. *Triplicem Medelam.*
- III. *Triplicem Cautolam.*

J. J.

Exegesis.

CUM Jacobus Patriarcha à filiis suis certior redderetur, quod Josephus filius carissimus, quem dudum defunctum arbitrabatur, adhuc in vivis & Dominus totius Egypti esset, omnem fidem illis derogabat, dimisit namque eum sermonem cor ejus, ut Moses meminit, Gen. 45. v. 26.

Idem evenit discipulis Christi, quibus pia mulierculæ, quæ corpus Domini unctum iverant, die Paschatos, & ab Angelo satis de resurrectione Salvatoris instructæ erant, hæc bona nova afferebant, quod Dominus verè resurrexisset ex mortuis: at illi in corde suo, mœrore nimio consternati, multò aliter sentiebant, & nuncium hoc *ὡς ἀπὸ* putabant. Interea duo ex illis, qui quidem non è numero Apostolorum, sed fortassis è Lxx. discipulis fuerunt, siquidem alter Cleophas appellatur, Emmaus deambulatum eunt, quo sollicitudinem ex animo profigant. In viâ verò Jesus ipse è mortuis resuscitatus, in formâ peregrinâ ipsis apparet, qui quidem illis primò aperuit sensum ut intelligerent Scripturas, deinde se illis manifestavit, & ita fidem eorum, huc illuc vacillantem, valide confirmavit, ut prælecta Pericope pluribus indicat.

Que.

Querela respicit

I. *Nostram peregrinationem.* Non modò discipuli duo in Evangelio Emaus iter faciunt: sed & Servator ipsis adsociat sese, sine dubio in formâ viatoris, & comitem se illis adjungit. Quid obsecro vita nostra aliud, quàm continua peregrinatio, & quid homunciones nosmet aliud cunctaque tandem loci & ordinis finis, quàm peregrinantes sumus? Quamprimum vitam hanc temporalem ingredi-mur nascentes, peregrinationem nostram inchoamus, eamque in morte tandem concludimus.

Probè hoc intellexit Patriarcha Jacobus, qui Pharaoni quærenti: quot sunt annorum vitæ tuæ? Respondit: Dies peregrinationis vitæ meæ sunt centum triginta annorum, parvi & mali, & non pervenerunt usque ad dies patrum meorum, quibus peregrinati sunt, Genes. 47. vers. 9. Cum quo consentit Regius Psaltes inquiring: Advena ego sum apud te, & peregrinus, sicut omnes patres mei, Psalm. 39. vers. 13. & iterum: Peregrini sumus coràm te & advenæ, sicut omnes patres nostri, 1. Paral. 30. vers. 15. Quinimò omnes Sancti confessi sunt, se peregrinos & hospites esse super terram, Hebr. 11. v. 13.

Tales igitur cum simus, variis ærumnis & calamitatibus proposita est vita nostra. Viator nusquam fixam sedem habet, sed in continuo motu est, dum iter suum absolvat, licet via difficilis sit & iter periculosum. Quantis aëris injuriis, quot tempestatibus expositus est? modò æstu torretur, modò frigore infestatur, modò in discrimen vitæ & facultatum ad-

ducitur. Quodsi vesperi in hospitium divertitur, & levamen se inventurum putat, sæpè spes decollat, dum hospes morosus, imò quandoque prædator & latro est, ut nunquam majori lætitiâ afficiatur, quàm si molestias itineris superararit.

Non levioribus si non majoribus ærumnis subiecti sumus & ipsi in vitæ hujus peregrinatione: nullam enim requiem habet caro nostra, 2. Cor. 7. vers. 5. quotidie nobis in curriculo nostro progrediendum: nullam hinc habemus civitatem permanentem, Hebr. 13. v. 14. Symbolum nostrum est, plus ultrà, per varias tribulationes eundem nobis, Act. 14. v. 22. Intrate per angustam portam, & arctam viam, necessitati quippè parendum erit, Matth. 7. v. 13.

Der schmale Weg ist Trübsal voll/
Den ich zum Himmel wandern soll.

Et quis omnes peregrinationis hujus miseras exponet? quis pericula explicabit? quis tempestates numerabit, quibus infestamur? Esa. 54. v. 11.

Quia igitur peregrini & viatores sumus, ne tanquam ad rem peregrinam obstupescamus, propter æstum, quasi novi aliquid nobis contingat, 1. Petr. 4. v. 12. sed sciamus, eandem passionem ei, quæ in mundo est, nostræ fraternitati fieri, 1. Petr. 5. vers. 9. qui non minus propositi sunt omnibus fortunæ telis, sicut & nos, neve recusemus, quo minus eâ, quâ nati sumus conditione vivamus, neve tam graviter feramus eos casus, quos nullo consilio vitare possumus, eventisque aliorum memoriâ repetendis nihil

hhhh

acci-

accidisse nobis novi cogitemus. Dicamus ergò: Iram Domini portabo, quia peccavi ei, Mich. 7. v. 9. Calicem salutis accipiam, & de nomine Domini prædicabo, Psal. 116. v. 13.

Illi proindè mortalium stolidissimi censendi sunt, qui hinc patriam suam quærunt, quod faciunt filii hujus seculi, qui figuram hujus mundi, quæ tamen præterit, 1. Cor. 7. vers. 31. tantopere in delitiis habent, ut in eâ summum bonum, & animi requiem quærentes, terrena cælestibus, & transitoria æternis, præferant, & ita è peregrinatione patriam faciant. Ostulti & tardi corde! Num conditionis vestræ oblitis estis? Hospites estis, non inquilini?

- - - Scilicet omnibus
Quicumque terræ munere vescimur,
Enaviganda: sive Reges
Sive inopes erimus coloni.

Non habetis hinc civitatem permanentem, auditis? ergo futuram inquirete, Hebr. 13. v. 14. Ubi verò illa quærenda? ἐν ἐρανοῖς, inquit Paulus, ibi πολιτεύμεν nostrum est, Phil. 3. v. 20. Eò si anhelaverimus, hoc mundo ita utemur, tanquam qui non utuntur, 1. Cor. 7. v. 31. quin & omnes molestias & misérias vitæ hujus æquo animo ferentes, tandem anxie beatam ἰουδαίας desiderabimus, dicentes cum Paulo: Cupio dissolvi, & esse cum Christo, Phil. 1. v. 23. Et cum Ecclesiâ:

*Herr Jesu Christ / meins Lebens
Liecht, &c.*

II. *Crucis scandalisationem*, quâ & Sancti offendi quandoque possunt, Cleophas & comes ejus spontè confitentur, ma-

gnam se quidem de Christo spem cõcepisse, quod Judæos è servitute & jugo Romanorum liberaturus esset: Jam verò spes eorum prorsus decollavit. Dominus & Magister eorum, nefariè trucidatur, hic nulla spes superest, nulla fides, ut credant Messiam esse. Prophetam quidem, qui potenter, non ut Pharisæi, docuerit, & præclara miracula ediderit, ipsum agnoscunt: at quod post mortem quemquam juvare possit, id planè absurdum videtur. Ut ita justam Christi increpationem, quâ illos reprehendit, satis promeriti sint.

Discimus autem hinc, miseros nos homunciones eodem modo affectos esse, ut Cleophas & comes ejus. *Sicuti res se dant, magni atque humiles sumus*, ait Terentius. Quando sine afflictione & periculo sumus, nec adversa valetudine, aut victus inopiâ laboramus, gaudio ovantes, in quiete nostrâ dicimus: Non movebor in æternum, Psal. 30. v. 7. tum præsumtuosi cum Petro dicimus: Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes, Joh. 6. v. 68. cum Assapho: Quid mihi est in cœlo? & à te quid volui super terram? Psal. 73. v. 25. Si Deus pro nobis, quis contrâ nos? Rom. 8. v. 32.

Sit plenus orbis Dæmonum,
Qui nos vorare tendant,
Timebimus non admodum,
Nobis trophæa pendant.
Princeps in orbe,
Ringat furore,
Nihil nocebit
Nam judicatus it,
A verbulo peribit.

Quando verò pauperie, morbis, & variis
infor-

infortunis impetitur, quando aut Christum deserere, aut facultates relinquere jubemur, quando vita & fortuna in discrimine versantur, ibi animis cadimus & tantum non desperamus, ita Christus plane occubuisse in corde nostro videtur, ut queruli ingeminemus: Usque quo Domine, oblivisceris mei in finem? usque quo abscondis faciem tuam à me? Psal. 13. v. 1. 2. Nunquid in æternum projiciet Deus, & non amplius placabilis erit? num finis erit omnino misericordiæ ipsius? Pl. 77. v. 8. 9. Hæcine vera Ecclesia, & Sponsa Christi esset, cui Magnates terræ potentissimi adeo infensi sunt eamque undique oppugnant? Et hoc scandalum in multis adeo invalescit, ut eo ipso subindè ad apostasiam commoveantur, sic ut exempla multorum testantur. Et quia periculum est, ejusmodi tentationes & persecutiones, ob verbi contemptum, & ingratitude hominum denuò justo Dei judicio immissum iri, metuendum sanè, porro adhuc multos à fide defecturos esse.

Accuratâ proindè cautione opus est, ne in securitate & præsumptione temeraria pergamus, & tempore tentationis offendamur. Qui stat, videat, ne cadat, 1. Cor. 10. vers. 12. Christum non temere ratione scandali nos præmonuit, inquit: Hæc locutus sum vobis, ut non scandalizemini, Joh. 16. v. 1.

Quodsi verò scandalum evitare velimus, devoto verbi auditu, frequenti Sacramentæ usu, & indefessa oratione muniamus nos: O Domine, averte à nobis naufragium fidei, 1. Tim. 1. v. 19. Domine adauge nobis fidem, Luc. 17. v. 5. Credimus Do-

mine, adjuva incredulitatem nostram, Marc. 9. v. 24.

Laß mich kein Lust noch Furcht von dir/
In dieser Welt abwenden / 2c.

III. *Christi simulationem.* Simulat se Christus erga hos discipulos,

1. *Ut peregrinum.* Hoc pii quoque non raro experiuntur; Christus se illis sæpè ut peregrinum simulat, lamentantur illi & clamant, & ipse non audit, multò minus suppetias fert. Hinc querelæ: Expectatio Israel, Salvator noster in tempore tribulationis: quare quasi peregrinus es in terrâ, & quasi viator declinans ad pernoctandum? Quare futurus es, velut vit obstupefactus, & fortis, qui non potest salvari? Jer. 14. v. 8. Quodsi & tibi fortassis eò res redeat, mi Christiane! recordare quæso discipulorum Emmaunicorum, erga quos Servator itidem peregrinum se simulavit: & tamen eventus probavit, sub peregrinâ hæc formâ summam ejus *φιλανθρωπίαν*, gratiam atque fidem delituisse, quam & tu confidenter sperare potes.

2. *Ut longius iturum.* q. d. Valetè nunc, iter meum longius prostat, vos in vicum ite, & colloquium meum boni consulite. Non majus malum homini accedere potest, quàm si Dominus abscedat. Væ illis, cum ego discessero, ait ipse, Hof. 9. v. 12. Quomodo verò discedit?

1. *Quando verbum & Sacramenta sua ex Ecclesia auferit:* hoc modo discessit à Judæis, Act. 13. v. 46. à Capernaitis, Matth. 11. vers. 23. à Gergesenis, Matth. 8. v. ult. ut & à Corinthiis, Ephesiis, aliisque gentibus, imprimis vero à Romanis, apud quos quidem olim cum verbo & Sacramentis habitavit, quia vero ea spreverunt, recessit

h h h 2

ab

ab illis, & Anti-Christo, Papæ & Mahometo reliquit illos.

2. *Quando homini in calamitatibus versanti solatium suum subtrahit*, hoc modo apparenter reliquit piûm Jobum, ut ipse conqueritur: Mutatus mihi es in crudellem, & dura manu tua ostendis, te esse inimicum meum, Job. 30. v. 21. verè verò Judam, qui & solatio orbis desperavit, Matth. 27. v. 5.

3. *Quando benedictionem suam ab homine ejusq; actionibus tollit*. Hoc modo recessit à Saule, qui deindè nihil amplius feliciter gessit, 1. Sam. 16. v. 14.

Quia verò per peccata & impiam vitam Deus quasi à nobis propellitur, peccata quippè dividunt nos & Deum nostrum, Esa. 59. v. 2. Spiritus Sanctus disciplina effugiet fictum, & auferet se à cogitationibus, quæ sunt sine intellectu, Sap. 1. v. 5. desistamus à malo, & discamus benefacere, Psal. 34. v. 15. Ne à Deo deseramur, & temporale atque æternum vè incurramus, quod improperatur talibus. Osea. 9. vers. 12.

De Secundo.

Sequitur *Medela*, quæ fuit
I. *Ex dulcissima Christi conversatione*, qua prosequitur amantes se.

Quamprimum discipuli hi Emauntici in via de Magistro suo, ex sincera caritate invicem colloquuntur, appropinquans comitem se illis adjungit, & iter facit cum illis. Idem hodie tenus adhuc facit, estque cum fidelibus suis, non modo præsentia generali, de qua Paulus: Non longe est ab uno quoque nostrum; in ipso

enim vivimus, movemur, & sumus, Act. 17. v. 27. sed & præsentia gratiæ, ubi appropinquat ad nos, verbo & Sacramentis, quibus nos alit, roborat, & recreat. In specie verò libenter est cum mæstis & contritis corde, sicut hi duo discipuli, quibus se adfociat, pleni tristitiæ & mæroris fuerunt.

Nam juxta est Dominus iis, qui tribulato sunt corde: & contritos spiritu salvabit, Psal. 34. vers. 19. Hoc præfiguratum est in hospio Bethaniæ, nam Luc. 10. vers. 38. legimus quod Christus libenter Bethaniæ apud Lazarum, Martham & Mariam diverterit. Bethania verò domum tristitiæ notat, ubi multum tristitiæ spiritus est, ibi Christus solatio suo præsens operatur, 2. Cor. 7. v. 10. Bethaniæ sorores plenæ dolorum sunt, Marthæ plenæ curarum, & Mariæ plenæ amaritudinis. Tamen & præsens est frater Lazarus, qui auxilium suum in Deo invenit. Christus igitur gaudio & solatio replet. Quomodo si cui mater blandiatur, ita ego consolabor vos, Esa. 66. v. 13.

Quando igitur gratia & solatio suo nobis appropinquat, cum gaudio excipiamus eum, & præsentiam ejus exosculemur, præsertim, quia non solus venit, sed & Pater, qui cum eo unum est, Joh. 10. v. 30. & Spiritus sanctus, qui ab eo ab æterno procedit, cum eo venit, & ita SS. Trinitas nobiscum conversatur, quam & sequuntur S. Angeli, qui castra metantur in circuitu timentium Dominum, Psal. 34. v. 8. quæ tanta gloria est, quam verbis exprimere nunquam possumus.

II. Ex

II. Ex Scriptura perfectissima impletione. O stulti, inquit, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam? & incipiens à Mose & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus Scripturas, quæ de ipso erant.

Hic Doctor ille eruditæ linguæ, omnes typos, dicta, vaticinia & promissiones V.T. quæ de ipso prædixerant, explicuit, & ad se & officium suum applicavit, idque adeo luculenter, ut manibus quasi discipuli hi palparint, de nemine alio, quàm de Jesu Nazareno intelligenda esse, eumque indubitato verum Messiam esse. Sicut igitur promissiones & vaticinia omnia, quæ ad Christum collinearunt, ita impleta sunt, ut ne litera, nec apex defuerit: Ita quæ Deus ulterius promisit in verbo suo, de misericordia & adfidentia erga fideles, de potentissima redemptione ex omnibus angustiis, de exauditione precum, de præmio bonorum operum gratuito &c. id omne certissimè quoque suo tempore implebitur. Non enim Deus homo est, qui mentiatur, Num. 23. v. 19. Rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, Psal. 33. v. 4.

III. Ex gratiosissima Christi perseveratione. Discipulis petentibus, ut secum maneat, exoratur, & orationi annuit. Ita non modò appropinquat fidelibus suis, sed quando illi præsentiam ejus exoptant, nec peccatis suis petulanter abigunt, nec perseverat cum iisdem omnibus diebus, usque ad consummationem seculi, Matth. 28. v. ult. discumbit cum ipsis; benedicit victui ipso- rum, & largitur ipsis omnimoda dona

bona & perfecta; cœnat cum illis, & illi cum ipso, Apoc. 3. v. 20. aperit quoque ipsis sensum, & oculos, ut ipsum cognoscant, & per hanc cognitionem vitam æternam consequantur, Joh. 17. v. 3. ut fidelis anima fiducialiter dicere possit:

Ob mir gleich Leib und Seel vers-
schmacht/

So weistu Herr/das ichs nicht acht/
Wann ich dich hab/so hab ich wohl/
Was mich ewig erfreuen soll.

De Tertio.

Restat *Cautela*, quæ tribus absolvitur
Regulis, ut sunt

I. *Bonis te adfocia*. In prælecto Evangelio, duo pii Christi discipuli comites sunt, non loquentes de rebus frivolis & otiosis, sed de innocente morte Servatoris sui: & ubi Jesus ipse comitem se illis adjungit, libenter cum illo conversantur, recentent ipsi argumentum colloquii sui, & tantâ voluptate ipsi auscultant, ut & cor ardens sit in ipsis, præsancta devotione, ubi ipsis Scripturas interpretatur. Nonne idem & nos faceremus, dulcissimi Auditores! Nonne & nos pravo sodalicio renunciaremus, ipso præsertim Salomone nos præmonente: Ne æmuleris viros malos, nec desideres esse cum eis, Prov. 24. v. 1. Non æmuletur cor tuum peccatores, Prov. 23. v. 17. Nonne & nos Sanctorum & piorum sodalicio gauderemus, cum quibus & ipsi sancti & pii sumus, ut Psalmus 118. v. 26. instruit. Illi enim spurcum sermonem ex ore suo non procedere sinunt: sed qui bonus est, ad ædifica-

hhhh 3

fica.

ficationem necessitatis, ut det gratiam audientibus, Eph. 4. v. 29. nec in turpitudine aut stultiloquio, aut scurrilitate, quæ non decent, delectantur, Eph. 5. v. 4. sed in iis, quæ modesta, iusta, casta, amabilia, & quæcunque bonæ famæ sunt, Phil. 4. v. 8. Potissimum verò colloquuntur de verbo Domini, siue sedeant in domo suâ, siue ambulent in itinere, Deut. 6. v. 6. Col. 3. v. 16. loquuntur sibi metipsis in Psalmis & hymnis, & canticis spiritualibus, Eph. 5. v. 19. in cuius loquæ certamine non modò sapientia, & præclaritas in communicatione sermonum ipsius, Sap. 8. v. 18. sed & gaudium in afflictione quâ corporali, quâ spiritali, Psal. 119. v. 92.

Ejusmodi pia colloquia probata sunt SS. Triadi, ut cum ejusmodi pio sodalities libenter conversetur, ubicunque tandem locorum sit, sicut hîc Christus præsentia suâ discipulis Emmaunticis indicat. Nec minus volupe est sanctis Angelis cum talibus conversari, sicut ex adverso cum impiis Cacodæmones habitant, & in turpiloquio eorum delectantur.

In omnibus sermonibus nostris recordemur verborum Servatoris: Dico vobis: quoniam omne verbum otiosum, quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo, in die iudicii, Matth. 12. v. 36. Quid verò verbum otiosum sit explicat Hieronymus his verbis: *Otiosum verbum est, quod sine utilitate loquentis, & audientis dicitur.* Quantò magis igitur de blasphemis, execrationibus, calumniis, turpiloquiis, aliisque execrandis sermonibus ratio reddenda erit?

II. *Ingruentem vesperam considera.* Duo hi discipuli Emmauntici dicunt: Domine

advesperascit. Ubi quidem vesperam naturalem illi intelligunt, siquidem addunt: & inclinata est jam dies, h. e. Sol occidit, nox tenebrosa, quæ nemini amica, irumpit. Verùm tam Veteres, quàm Recentiores Ecclesiæ Doctores hæc verba applicarunt.

1. *Ad universalem vitam vesperam.*

2. *Ad cuiusque vitam vesperam.*

Utique mundi vespera ingruit, 1. *In Choro*, ubi exterius persecutiones, interius hæreses & schismata indies invalescunt, quæ luculenta vesperæ ingruentis indicia sunt, sicuti constat ex Matth. 24. v. 9. II. 24. 1. Tim. 4. v. 1. 2. Tim. 4. v. 3. 1. Petr. 2. v. 1. 1. Joh. 2. v. 18.

2. *In Foro*, ubi exterius nil nisi prælia & rumores præliorum, interius verò nil nisi iniustitia & violentia audiuntur, ex quo rursus Servator instantem mundi vesperam nobis prædicat, Matth. 24. v. 6. 7. 12.

3. *In Thoro*, ubi exterius magnæ & inauditæ pressuræ, quibus tam pacis quàm belli tempore homines gravantur, interius verò discordiæ conjugum, inobedientia liberorum & famulitii, commerciorum difficultas, & alia ejusmodi plura invaluerunt. Maxime verò caritas in multis refriguit, nulla fides nulla integritas amplius reperitur, quin & nulla æquitas porro attenditur. Ex quo iterum sapiens quisque deprehendere valet, mundi vesperam adesse, quia omnes quasi creaturæ nobiscum ingemiscunt: Advesperascit, Rom. 8. v. 19. seqq.

Sed & vespera vitam humanam attendi metetur, quæ ingruit, quando calor natus cum

cum humido radicali expirat, ut non calefiat, licet vestibus operiaris, ut David, 1. Reg. 1. v. 1. quando oculi caligant, ut in Isaac, Gen. 27. v. 1. quando sensus vigorem amittunt, ut in Berzellai octonario, 2. Sam. 19. v. 35. quando Medicus multum laboris in curando morbo corpore infumit, Sir. 10. v. 11. Nihil aliud expectari potest, quàm vespera vitæ. Imò, cujuscunque tandem homo loci & ordinis sit, juvenis sive senex, sanus aut æger, robustus vel debilis, dives vel pauper, doctus vel indoctus, singulis horis & momentis vitæ vesperam expectet necesse est. Statutum quippè est homini, semel mori, Hebr. 9. v. 27. Quando verò hoc futurum sit, nemini constat; Nescit homo tempus suum, Eccl. 9. v. 12. Breviter: Quod tam universalis mundi, quàm specialis vitæ vespera instet, omnibus nobis exploratum est: quando verò hora irruptura sit, omnino ignoramus, hoc enim Pater posuit in sua potestate, Act. 1. v. 7. In omnibus ergò operibus tuis memorare novissima, & in æternam non peccabis, Sir. 7. v. ult.

III. *Ardentibus precibus Jesum invita.* Hoc faciunt duo hi discipuli Emmauntici, qui ita Jesum sollicitant: Manè nobiscum Domine, quia ad vesperasceit.

Quod si Christus se simulat, vel omnino in procinctu est longius ire & à te recedere, cum gratiâ, solatio, verbo, & Sacramentis suis in hâc mundi vesperâ, vel in vespera vitæ tuæ, ipsa planè necessitas requirit, ut eum sollicites, imò cogas, ut Emmauntici fecerunt. Sicut enim Jesus noster verbo, Sacramentis & benedictione sua, Judæis, Ephesis, Romanis, Sauli aliisque à quibus discessit, alligatus non fuit: sic nec tibi & mihi, imò nobis omnibus alligatus minimè est. Ubi Judaica, gentilia & id generis peccata alia regnant, ibi discedere ipsum non mirum est. Hoc prævertas velim, humili peccatorum tuorum agnitione, sedulâ verbi ejus meditatione, & vita piâ atque Christiana: sollicita eundem devota & incessabili precatone, inquires:

Vespera jam venit, nobiscum Christe,
maneto:

Exstingui lucem ne patiâre tuam.

Non dimittam te nisi benedixeris mihi,
Gen. 32. v. 26. Sic obsequiosum se tibi exhibebit, & tecum manebit in vita & in morte, in prosperis & adversis,
quin & in extremo judicio. Fiat
id per Christum,
Amen.



FERIA